



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

I. Probatur γνησιότης Librorum Novi Testamenti:

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

PROPOSITIONES.



OSITIS Principiis quibus omnis nostra nititur Demonstratio, nunc ipsa ex iis educenda est. Quoniam autem in rerum gestarum veritate pericrutanda, & in moralibus explicandis quaestionibus fere versatur haec disputatio, minime à nobis expectanda est geometrica illa brevitatis ac simplicitatis, quam non fert rei natura. Recte enim ab Aristotele definitum est initio Nicomacheorum, ad rerum singularum naturam ac modum institui tractationem & accommodari debere. Sed ut diffusior & uberius sit argumentorum tractatio, inerit iis tamen *ἡμετέροις* vis, quam initio pollicitus sum. Decem Propositionibus absolvitur Demonstratio ista, quarum prima haec est:

PROPOSITIO I.

Genuini sunt libri Novi Testamenti.

I. Probatur *ἡμετέροις* librorum Novi Testamenti; II. Evangelii secundum Matthaeum; III. Evangelii secundum Marcum; IV. Evangelii secundum Lucam; V. & ejusdem Actuum Apostolorum; VI. Evangelii secundum Johannem; VII. & ejusdem Epistolarum, Prima, VIII. Secunda, ac Tertia; IX. & Apocalypsis; X. tum Epistolarum Pauli, XI. ac praesertim Epistole ad Hebraeos; XII. deinde Epistole Jacobi, XIII. & ambarum Petri; XIV. ac demum Epistole Juda. XV. Probatur praeterea *ἡμετέροις* librorum Novi Testamenti ex vetustate codicum quorundam. XVI. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. XVII. Secundum argumentum. XVIII. Tertium argumentum.

I. Genuinos appello libros, scriptos ab iis auctoribus, à quibus dicuntur esse scripti, & iis circiter temporibus, quibus scripti esse feruntur, juxta primam Definitionem. Cum autem ex primo Axiomate constet librum omnem esse genuinum, qui genuinus habitus est ab aetatibus proxime & continuata serie sequentibus, consecrarium est librum hunc esse genuinum, quem proxime subsequentes aetates ab eo auctore scriptum esse censuerunt, à quo scriptus esse dicitur, & eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur. Atqui Novi Testamenti libros proxima & continuata serie sequentes aetates ab iis auctoribus scriptos esse crediderunt, à quibus dicuntur esse scripti, & iis circiter temporibus, quibus scripti esse feruntur. Unde concluditur genuinos esse libros Novi Testamenti. In assumptione probanda vertitur hujus cardo Propositionis.

Quatuor Evangelii constat Novum Testamentum, quae singula singulis scriptoribus, Matthaeo, Marco, Lucae, & Johanni tribuuntur: tum Actis Apostolorum, quorum auctor fertur esse Lucas idem Evangelista; quatuordecim Epistolis, quae Paulo adscribuntur uno consensu omnes, praeter postremam quae est ad Hebraeos; de hujus enim scriptore aliqua extitit inter eruditos contentio; Epistola Jacobi unica, ejus qui frater Domini appellatus est; Petri duabus; tribus Johannis Apostoli, unica Juda; & Apocalypsi demum Johannis, qui Apostolus fuit, an alter aliquis, nonnullis aliquando dubium fuit.

II. Non hic Lectorem longis disputationibus, & magno testimoniorum apparatu morabor, cum id quod agimus, jam actum sit velut ex instituto ab Eusebio in Historia Ecclesiastica libris: & res sane clarius est, quam ut in ea confirmanda multum laborandum sit. De singulis tamen Novi Testamenti libris agam breviter, quantum sat erit ad fidem cordatis Lectoribus faciendam: ac primum de Evangelio secundum Matthaeum. Testimonia ex eo manifeste deprompta affert in suis ad Corinthios Epistolis Clemens Romanus, Apostolicorum temporum aequalis, & à Paulo ipso celebratus in Epistola ad Philipenses. Quippiam etiam indidem depromptum comparet in Epistola, Barnabae nomine inscripta: laudatur praeterea ab Ignatio, qui Christum à

*Probatur  
ἡμετέροις  
librorum  
Novi  
Testamen-  
ti:*

*Evangelii  
secundum  
Matthaeum;*